



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XVI. Gregorii Papae I. Ad Mavricivm Avgvstvm. De Ioanne
presbytero recipiendo iniuste damnato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

hæresim fieri sub emendationis magis specie permittamus. Valde autem mirati sumus cur hi, qui in causâ fidei iudices contra Ioannem Calchedonensis ecclesiæ presbyterum a vobis fuerant deputati, negligentes veritatē, opinioni crediderint, & credere districte profitenti noluerint, maxime dum accusatores ipsius Marcianistarum, quam commemorabant, hæresim, vnde eum reum moliebantur efficere, interrogati quæ esset, nescire se manifesta professione responderunt. Ex qua re euidenter agnoscitur, quia personam ipsius sine Dei respectu non iuste, sed contra animas suas sola grauari voluntate tantummodo voluerint. Nos itaque factō Concilio, sicut gestorum apud nos habitōrum tenor ostendit, cuncta quæ erunt necessaria subtiliter perscrutantes ac tractantes, quoniam in nullo antedictum presbyterum reum inuenire potuimus, præcipue quia libellus, quem delegatis a vobis iudicibus obtulit, rectæ fidei per omnia sinceritati concordat, eapropter eorundem iudicum reprobantes sententiam, nostra eum diffinitione catholicum, & ab omni hæretico crimine liberum esse Christi Dei redemptoris nostri misericordia & gratia reuelante denuntiauimus. Quem quoniam ad vestram retransmisimus sanctitatem, oportet vt eum, sicut se cunctis exhibet, benigne suscipiat, & caritatem illi sacerdotalem impendat, atque a cuncta eum inquietudine tueatur, nec quemquam se in eius molestia occupare permittat, sed sicut alios ab oppressione defenditis, ita huic vestra subtrahere solatia non debetis.

EPISTOLA XVI.

GREGORII PAPÆ I.

AD MAVRICIVM AVGVSTVM.

De Ioanne presbytero recipiendo iniuste damnato.

Gregorius Mauricio Augusto.

CVM sincera in vobis, Christianissime principum, velut emissum cælitus iubar fidei rectitudo resplendeat, cumque notum sit omnibus serenitatem vestram, integram professionem, qua Deo pollet propitio, vehementer amplecti, & toto corde diligere, necessarium esse valde perspeximus pro his, quos vna eademque fides illustrat,

fuggerendo deposcere, quatenus dominorum pietas sua eos gratia protegat, & ab omni molestia tueatur. Quorum dum confessionem quidam despiciunt, veræ fidei contradicere videntur. Nam cum oris confessionem fieri clamer apostolus ad salutē, qui rectæ professioni credere non consentit, in eo quod alium improbat, se accusat. Relatis igitur in Concilio quæ contra Ioannem Calchedonensis presbyterum ecclesiæ acta sunt, simul & serie iudicati, maiorem illum iniustitiam sustinuisse cognouimus: quippe quem clamantem se atque monstrantem catholicum esse non reatus culpa, sed diu accusatio incerta contriuit: intantum quia accusatores ipsius Marcianistarum, quam commemorabant, hæresim se nescire aperta responsione professi sunt. Et qui illico in ipso fuerant iudicii limine repellendi, in accusatione eius permanere incerti permitti sunt: sed ne dicta eum saltem lacerare potuisset opinio, libellum fidei protulit, in quo se patenter ostendere fidei rectæ professorem studuit & sequacem. Sed hunc a sanctissimo Ioanne fratre & coepiscopo nostro iudices deputati, iniuste ac irrationabiliter negligentes, dum in eius se niterentur occupare grauamine, se potius reprehensibiles ostenderunt. Nam nullus ambigit, infidelitatem esse, fidem fidelibus non habere. Quia ergo omnibus subtiliter rimatis atque tractatis, catholicum superscriptum Ioannem presbyterum, sancti Concilii mecum definitio diuinæ potentiae reuelante gratia declarauit, nec quædam in ipso hæreticæ macula prauitatis inuenta est; obsecro vt pia serenitatis vestræ protectio illæsum illum ab omni molestia seruari præcipiat, nec catholicæ fidei confessorem aliquam sinat inquietudinem sustinere. Nam veraciter confitenti non credere, non est hæresim purgare, sed facere. Quod si licuerit, surget infidelitatis occasio, & ipsi in eas quas incaute volunt emendare culpas incurrunt. Hæc igitur serenissimus dominus pia * prouisione consideret, & sicut poposci, profusis iterum precibus rogo, vt affligi denuo innocentem velut obnoxium non permittat, quatenus Deus omnipotens, qui placitam sibi catholicæ rectitudinis integritatem clementiam vestram amare cernit atque defendere, & hic deuictis hostibus pacatæ vos imperare reipublicæ, & cum sanctis suis in æterna faciat vita regnare.

Ioan. diac.
lib. 4. c. 36.

*al. prouidentia